

REGVLA S. AVGVSTINI  
E T  
CONSTITVTIONES  
FF. ORDINIS PRÆDICATORVM

*Nunc recentè reimpressa*

Iussu Reuerendiss. Patris ANTONINI CLOCHE,  
eiusdem Ordinis Magistri Generalis.



*Imple Pater quod dixisti nos tuis  
iuuans precibus*

R O M Æ, M. DC. XC.


Typis Nicolai Angeli Tynasij. Superiorum permissu



# FR. ANTONINVS C L O C H E

Sac. Theologiæ Professor, ac totius Ordinis  
FF. Prædicatorum humilis Magister  
Generalis, & Seruus.

*Vniuersis, & singulis eiusdem Ordinis Patribus,  
ac Fratribus salutem in Domino, ac sollicitam  
Legum nostrarum custodiam.*

 Nter plurima, quæ pro sta-  
biliendo magis Ordinis  
nostri communi bono, in  
præterito proximè Capi-  
tulo à Patribus proposita, & necessaria  
existimata sunt, illud non postremum  
omnibus visum est: vt noua Constitu-  
tionum nostrarum editio studiosissimè  
curaretur; cùm iam distractis aliarum  
omnium editionum exemplaribus,  
iamque vsu consumptis, perpauca in  
quibus Religiosi suas Leges addiscant,  
reperiantur. Hinc etiam sperandum  
fore existimatum est, vt facilius re-



I N C I P I T  
R E G V L A  
B. A V G V S T I N I  
E P I S C O P I.



**A**NTE omnia, Fratres charissimi, diligatur Deus; deinde proximus, quia ista praecepta sunt principaliter nobis data. Haec igitur sunt, quae ut obseruetis praecipimus, in Monasterio constituti. Primum propter quod in vnum estis congregati, ut vnanimis habitetis in Domino; & sit vobis anima vna, & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Et distribuatur unicuique vestrum à Praeposito vestro victus, & regumentum; non aequaliter omnibus, quia non aequaliter valetis omnes, sed potius unicuique prout cuique opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuique prout cuique opus erat. Qui verò aliquid habebant in seculo, quando ingressi fuerint Monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quaerant in Monasterio, quae nec foris habere poterunt. Sed tamen eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etiam si paupertas eorum quando fo-

1

# PROLOGVS IN LIBRVM CONSTITVTIONVM Fratrum Ordinis Prædicatorum.



**C**VPIENTES nonnulla loca Constitutionum nostri Ordinis Prædicatorum declarare, à titulo exordium sumendum esse censemus: declarantes, quòd hoc Nomen PRÆDICATORVM, fuit Ordini nostro impositum à Papa INNOCENTIO III. per litteras, quas direxit B. P. DOMINICO, & Socijs eius: & ab Honorio III. fuit hoc nomen approbatum, & à Gregorio IX. in Bulla Canonizationis Beatissimi Patris DOMINICI confirmatum; ac demùm ab alijs Pontificibus commendatum: qui miris laudibus, & præclarissimis priuilegijs prædictum Ordinem exornarunt. Vnde Dominus Alexander IV. in laudem, & commendationem præfati Ordinis sic dixit. Cœlestis ille Agricola summus auctor fidei, præcipuusque protector, sacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, quasi lignum

seruit, vt delectaret amœnitate, vbertate satiaret, & fructuum suauitate mulceret. Hoc itaque speciosum, læcundum, ac dulce lignum, imbre superno irrigatum, pulchra plurima, ac dulcia poma profert: quorum odore ac sapore confortantur, & conualescant debiles, varijsque detenti languoribus liberantur. In hoc vtique vitæ ligno mortales homines carnis infirmitatibus prægrauati, pabulum salutis inueniunt, & internam recipiunt sospitatem. Huius inquam ligni percepta fragrantia, vndiquè ad libamen ipsius concurrunt innumerum Professores fidei: qui assidue illo perfruentes, & eius salutaribus fructibus conuescentes, de ipsorum prægustata dulcedine, ministrant & ipsi alijs, suauia libamenta salutis. Hæc est illa generosa plantatio, quæ ramos suos vndiquè expandens, flores plurimos honoris & honestatis, fructusque vberimos doctrinæ profert, & virtutis; & odorem sanctæ, ac laudabilis conuersationis longè latequè diffundit. Hic est Ordo Sacer



20  
CONSTITVTIONES

Fratrum  
ORDINIS PRÆDICATORVM.

PRIMA DISTINCTIO

Cap. I. De Officio Ecclesie.

Constit. I.



VDITO primo signo, surgant Fratres, *b* & stādo dicāt Officiū de

B. Virgine, *c* pro tempore: *d* Matutinas autem, & Missam, & omnes alias Horas Canonicas simul audiant Fratres nostri, *e* nisi cum aliquibus Prælatus aliter dispensare voluerit.

*a* Audito primo signo.) Declaramus, quòd ad Horas Canonicas non debemus regulariter habere nisi duo signa. Primum debet esse breue, quo audito, Fratres debent se præparare, & occupationes in quibus tunc versantur dimittere, nec nouas assumere. Secundum autem signum debet esse ita prolixum, vt ante eius termi-

nationem, possint Fratres de omni remotiori loco Domus, secundum exultationem pulsantis, ad Ecclesiam conuenire. Inter primum autem & secundum signum debet esse tantum spatium, vt Fratres se possint præparare.

*b* Et stando dicant Officiū de Beata Virgine.) Declaramus, quòd in Matutinis, audito primo signo, debent in Dormitorio Fratres stando dicere Officiū de Beata Virgine, quando pro tempore est dicendum; vno incipiente, & dicente vnum versum, & alijs respondentibus, & dicentibus alium versum: & post secundum signum debent officium de Tempore in Choro deuotè, & distinctè cantare. Veruntamen, vt maiori qua potest pietatate, & deuotione erga B. Virginem, specialè Ordinis aduocatam, Officiū illius in Dormitorio recitetur, in Dormitorijs Conuentuum, locorumque nostrorum, debet esse erectum

Al-

INCIPIVNT

# CONSTITVTIONES

Sororum Ord. Prædicatorum.

PROLOGVS.



**Q**VONIAM ex præcepto Regulæ iubentur Sorores habere cor vnum, & animam vnã in Domino: iustum est; vt quæ sub vna Regula, & vnius professionis voto viuunt, vniformes in obseruantia canonicæ Religionis inueniantur: quatenus vnitatem quæ interius seruanda est in cordibus, foueat & repræsentet vniformitas exterius seruata in moribus. Quod profectò eò competentius, & plenius poterit obseruari, si ea quæ agenda sunt, scripto fuerint commendata: si omnibus qualiter sit viuendum scriptura teste innotescat; si mutare, vel addere, vel minuere nulli quidquam propria voluntate liceat: ne si minima negligent, paulatim defluant. Ad hoc tamen in Conuentu suo quæ præest, dispensandi cum Sororibus habeat potestatem, cum sibi aliquãdo videbitur expedire: nisi in his in quibus Magister Ordinis, vel Prior Prouincialis, vel eorum Vicarij ex causa aliter ordinarent. Prior ista etiam vtatur dispensationibus, sicut & aliæ Sorores. Vt igitur vnitati, & paci Sororum prouideremus, librum istum quem Constitutionum appellamus, diligenter conscripsimus: per certa Capitula infra scripta distinctum, vt quod quæretur facilius inueniatur. Declaramus autem, quòd Constitutiones non obligent Sorores ad culpam, sed ad pœnam tantum, nisi propter præceptum, vel contemptum.



INCIPIUNT

COMPENDIOSA CHRONICA,

Reuerendissimorum Magistrorum Generalium  
Ordinis Fratrum Prædicatorum.



DOMINVS Noster & Saluator IESVS  
 Christus, verus Samaritanus, infundens  
 misericordiosissime sauciato, vulneribus  
 pleno vinum, & oleum, immo vt verus  
 paterfamilias messem videns quam plu-  
 rimam, operarios autem paucos; no-  
 uissime diebus istis misit operarios in  
 messem suam. Posuit quoque mellores ad fructus vberes  
 in agro Dominico colligendos, Fratres de Ordine Præ-  
 dicatorum, qui prædicando verbo pariter & exemplo,  
 confessiones audiendo, ac per alia virtutum exercitia,  
 hæreticorum propulsarent vitia & extirparent; mundum  
 errabundum verbo doctrinæ illustrarent, tenebris profu-  
 gatis. Qui supradicti Fratres cum adhuc floruit chari-  
 tas, affuit benignitas, viguit hominum compassio, in  
 spiritus feruore, abiectis sarcinis mundanarum faculta-  
 tum, calceati pedes in præparatione Euangelij, pro pro-  
 ximorum salute multis laboribus, & vigilijs ac periculis,  
 non solum apud Christianorum nationes, verum in di-  
 uersarum regionum partes se disperferunt; morti se pro  
 Christo exposuerunt, & quotidie perseverant reddere  
 Domino populum acceptabilem; etiam in terris Infide-  
 lium, Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulga-  
 rorum, Cumanorum, Æthyopum, Syrorum, Ibero-  
 rum, Gazarorum, Gothorum, Ruthenorum, Iacobita-  
 rum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum,  
 Armenorum, Persarum, Indorum, Tartarorum, aliarum-  
 que infidelium nationum, vt protestantur in suis pri-  
 vilegijs Alexander IV. Innocentius IV. Clemens IV.